

recipit conservationem crastinam, quia non est distincta ab existentia, et conservatione hodierna, respondetur quod non recipit illam de novo, sed recipit continuationem ejus, et ad istam continuationem inclinatur ex natura sua, sicut quælibet res inclinatur ad sui conservationem, quæ non est inclinatio ad recipiendum de novo, sed ad continuandum esse jam receptum, et ad non habendum contrarium. Inclinatio autem naturalis non solum est ad recipiendum aliquid de novo, sed etiam ad quiescendum in recepto, sicut res quæ acquisivit suum finem, quiescit in illo. Et D. Thomas supra quæst. XIX, art. I, dicit, quod: « Quælibet res hanc habet habitudinem ad suam formam naturalem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet, quiescat in ea. » Nec tamen Deus violentiam inferret Angelo per annihilationem, nec cuiquam rei naturali tollendo ab illa esse, quia Deo, ut primo principio omnia obediunt, et nihil illi resistit

sive efficiendo, sive tollendo ab eis; et sic proprie non fit violentia a Deo, quia licet faciat contra inclinationem propriam naturalem, non tamen contra universalem naturæ ad obediendum creatori, quando operatur ut primum principium omnium, sicut nec aquæ fit violentia ascendendo ad replendum vacuum, licet sit contra inclinationem particularem ejus, quia in hoc servit universali bono naturæ ad quod magis inclinatur; et quamdiu fit aliquid juxta inclinationem saltem universalem, non fit violentia.

Ad confirmationem respondetur Angelo esse non repugnantiam ad annihilationem, non per intrinsicam potentiam inclinantem ad non esse, sed per dependentiam a voluntate Dei a qua omnis natura accipit esse non necessitate, sed voluntate ejus. Et ita pertinebit incorruptibilitas Angeli ad gratiam Dei, quæ est domum creationis, non ad aliquam gratiam superadditam naturæ, et dono creationis.

## QUÆSTIO LII.

### DE COMPARATIONE ANGELORUM AD LOCA.

#### SUMMA LITTERÆ.

Tractat hic D. Thomas secundam comparisonem Angelorum ad res corporales, scilicet non tamquam ad aliquid a se assumptum, sicut corpora in quibus apparent, sed ut aliquid cui assistunt, vel in quo existunt per modum loci.

Tractat autem de loco Angeli per tres articulos.

In primo inquit utrum Angelus sit in loco, et resolvit esse in loco, non tamen eo modo, quo corpus, sed æquivoce cum illo, quia corpus est in loco per contactum quantitatis, quo commensuratur loco, Angelus vero per contactum seu applicationem virtutis; nec enim in Angelis est quantitas molis, sed virtus.

In secundo articulo inquit utrum Angelus possit esse in pluribus locis, et respondet quod solum potest esse in uno loco, cui applicatur sua virtus, non ubique, neque in pluribus simul, quia cum sit virtus finita, non potest nisi ad aliquid finitum, et determinatum cui applicatur, correspondet ei tamquam unus locus sive sit punctum, sive sit aliquid divisibile.

In tertio inquit, an e converso plures Angeli possint esse in eodem loco, respondet non posse, quia sunt in loco per applicationem virtutis tamquam motores seu continentes locum, non contenti a loco: continent autem locum tamquam perfectæ virtutis, cum Angeli sint supremæ causæ creatæ in universo: ergo eodem modo repugnabit esse plures Angelos in eodem loco, sicut plures causas perfectas, et adæquatas respectu ejusdem effectus, vel passi. Non potest autem idem effectus procedere a duplici causa totali, et perfecta: ergo neque plures Angeli habere rationem existendi in eodem loco formali, id est, in eodem ut operatum, et contentum ab illis.

## QUÆSTIO LIII.

### DE MOTU LOCALI ANGELORUM.

#### SUMMA LITTERÆ.

Sequitur tertia comparatio Angelorum ad rem corpoream tamquam ad rem motam. Agendo enim de loco Angeli, oportebat agere de motu, quo et loca mutant, et se movent, et corpora.

Inquit autem tria. In primo articulo an possit Angelus moveri localiter, et respondet posse: modum autem movendi dicit proportionari de-

bere modo existendi in loco : sicut enim est in loco per contactum virtutis, ita et movetur penes diversos contactus suæ virtutis ad loca. Unde non habent divisibilitatem ex parte Angeli, sed ex parte locorum, quæ tangit, qui contactus si sint continui ex parte locorum dicetur continuo moveri in loco, si vero sint discreti, ita ut totus locus simul deseratur, et alius acquiratur dicetur motus discretus.

In articulo secundo inquit utrum Angelus moveatur transeundo per medium, respondet quod si movetur motu continuo, impossibile est quod transeat ad extremum nisi per medium : si vero movetur motu discreto, potest moveri de uno ad aliud non transeundo per medium, quia non alligatur legibus loci, et commensurationi illius, cum non contineatur a loco, sed contineat illum.

In tertio articulo inquit, an motus Angeli sit in instanti, et respondet non posse, sive moveatur motu discreto, sive continuo, eo quod in uno nunc, seu in uno instanti non potest esse motus, si toto tempore ante quievit mobile, sed oportet quod nunc aliter se habeat, quam ante, si vere movetur. Ubi autem sunt plura nunc, est tempus, sive discretum, si illa plura instantia non continentur partibus intermediis, sive continuum, si continentur : ergo omnis motus Angeli in instanti non est.

## DISPUTATIO XX.

## DE LOCO, ET MOTU ANGELORUM.

## ARTICULUS I.

*Quæ sit in Angelo ratio existendi in loco ?*

I. Duplex in philosophia solet distinguere locus, alter intrinsecus rei locatæ, qui abusive dicitur locus, proprie autem est ubi; alter extrinsecus, qui est ipsum corpus, seu superficies externa, cui assistit locatum in aliquo spatio, et ex tali co-existentia ad illud corpus a quo circumdatur resultat in locato ille modus, qui dicitur ubi, qui est ipsa præsentia formalis, qua res adstat ipsi corpori locanti in tali spatio, et circumdatur, seu ubicatur ab illo in tali distantia.

Quare tria concurrunt ad hoc quod aliquid sit in loco. Primum, est ipsum subjectum, seu substantia rei quæ ponitur in loco. Secun-

dum, est ratio illa per quam res tangit locum, cui adstat, seu ab illo ubicatur; et jungitur illi in aliqua distantia, sicut corpora ratione quantitatis replent, et tangunt locum, quatenus illi commensurantur. Tertium, est ipsa præsentia, seu ubi, quod est modus quidam resultans in re locata ex eo quod adstat loco, et jungitur in tali distantia illi. Et hic modus, seu ubi, vel præsentia, est id quod acquiritur, vel perditur per motum, non enim per motum localem acquiritur subjectum, seu substantia quæ est in loco, nec quantitas, seu ratio tangendi locum sive sit quantitas molis, sive virtutis; hæc enim per motum localem non variatur, sed id quod acquiritur, vel perditur per motum est præsentia ipsa, et ubi.

II. In præsentia non est difficultas de primo, scilicet de subjecto existente in loco : nullus enim dubitat substantiam Angeli præsentem fieri loco, vel absentem, tamquam subjectum, seu res quæ est in loco, vel movetur aut removetur a loco, non autem sola operatio vel effectus Angeli dicitur esse in loco, aut Angelus ratione illius, ita quod sua substan-

tia abstrahat a loco, id est, loco præsens non sit. De hoc dubium esse non potest : vere enim substantia Angeli movetur de loco ad locum ut infra ostendemus tractantes de ipso motu Angeli. Et est expressa sententia S. Thomæ, quia ut docet III p. qu. LII, art. II, anima Christi Domini descendit ad limbum patrum per suam realem præsentiam, et substantiam; ad infernum autem damnatorum per suos effectus, alias non vere descenderet, si secundum suam substantiam eo non accederet. Unde Durandus non bene audit, qui ausus est negare animam Christi ad inferos descendisse secundum suam realem substantiam, sed secundum effectum tantum, quem late impugnat Cajetanus loco citato tertiæ partis, et ibidem Suarez disp. XLIII, sect. II, et nos diximus in libris de anima, qu. XII, articulo ultimo Sic enim semper intellectum est ab Ecclesia illud verbum symboli de vero, et proprio descensu ad inferos, secundum substantiam animæ, non vero quod anima Christi dicatur mansisse in terra, et solum descendisse ad inferos metaphorice, quia ibi effectum aliquem operata est : hac enim ratione posset etiam dici quod tunc non solum descendit ad inferos, sed etiam quod ascendit ad cælos in illo triduo, vel quod iverit ad paradysum terrestrem, vel in Hierusalem, aut ad alia loca, in quibus operabatur anima Christi in illo triduo aliquos effectus sicut in inferno. Dicitur ergo specialiter descendisse ad infernum, quia ibi præsentiam suam posuit. Eodem autem genere motus movetur Angelus, quo anima separata; et multo melius, quia perfectior substantia est, et activior quam anima, et sic per motum potest substantiam suam movere mutando locum, et præsentiam quam habet, quia, ut dicit S. Thomas loco citato tertiæ partis art. I ad III: « Anima Christi descen-

dit ad inferos eo genere motus quo Angeli moventur, ut in prima parte dictum est. » Sentit ergo quod moventur Angeli, et consequenter existunt in loco, vel mutant illum applicando illi præsentiam suam, et substantiam. Et in hoc sensu non controvertitur ista quæstio : imo in hoc sensu videtur damnata opposita sententia, quæ asserit substantiam Angeli non esse in loco, aut non mutare locum, quæ non est D. Thomæ, inter articulos quosdam Parisienses quos refert Henricus quodlibet II, qu. IX, et ex eo Suarez lib. IV de Angelis, capite quarto.

III. Secundo, non est difficultas, aliquam præsentiam, seu modum dari quem acquirat Angelus in loco, quia movetur intrinsece in sua substantia, et non solum secundum aliquem effectum extrinsecum, ipsa substantia immobili permanente, de qua præsentia, seu modo, plura dicemus articulo quarto agentes de motu Angeli : convincitur enim dari istum modum, seu præsentiam intrinsecam in Angelo, quia præsentia Angeli ad locum est mutabilis, quæcumque illa sit, et per motum localem Angeli acquiritur aliqua præsentia, et amittitur alia, quia duæ præsentia simul in eodem loco inveniri non possunt, et multo minus eadem præsentia pro duobus locis : ergo modus præsentia per modum termini motus, quo formaliter Angelus in se denominatur præsens, nullo modo negari potest. Quæ præsentia superaddita est ipsi substantia Angeli, et rationi formali qua contactum habet ad locum, sicut anima nostra præter rationem formalem informandi corpus, quæ est ratio causæ formalis, habet rationem præsentia seu unionis ad corpus, et mediante illo ad locum corporis. In Angelo autem clare apparet quod substantia, et virtus Angeli manet eadem, præsentia

autem mutatur per motum, sicut in corporibus perditur, et acquiritur ubi modificans ipsum corpus, permanente eadem substantia, et quantitate, quæ est ratio contactus corpori. Nec dici potest quod hoc ubi, seu præsentia est in loco intrinsece, et in Angelo extrinsece, quia locus non movetur, sed Angelus: ergo si intrinsece movetur, intrinsece habet mutatum esse: ergo, et præsentiam. Hæc enim acquiritur per motum localem. Est autem illa præsentia in se spiritualis ex parte subjecti, et terminative divisibilis ex parte rei quam tangit ut in fine articuli dicemus, quia ista præsentia, non est commensurationis ad corpus, sed continentiæ, et superioritatis ad ipsum. Unde ex parte sua spiritualis, et superior esse debet, et consequenter indivisibilis, in subiecto in quo est, scilicet in Angelo, ex parte autem effectuum, et termini attackti potest esse divisibilis.

IV. Quare qui dicunt Angelum esse in loco per ubi, seu per modum præsentia superadditum substantiæ, verum dicunt, nec contra sententiam D. Thomæ, nam etiam D. Thomas admittit ubi angelicum, quod vocat diffinitivum, opuse. XLVIII, tract. de ubi, cap. 1, ut infra latius videbimus. Multi autem difficultates istas confundunt, et existimant illos, qui dicunt Angelum existere in loco per operationem, seu contactum virtutis, negare quod Angelus sit in loco per ubi intrinsecum: quod etiam illis videtur tribuere p. Suarez lib. IV de Angelis, cap. II. Sed nihil minus illi dicunt; sicut enim qui dicit corpora esse in loco per quantitatem, non negat esse per ubi intrinsecum, quia quantitas est ratio formalis contactus rei ad corpus immediatum a quo ambitur, vel locatur. Ita qui dicit Angelum esse in loco per quantitatem

virtualem, quæ tangit rem sibi immediatam, non per commensurationem quantitatis ad quantitatem, sed per virtutem operantem, non negant præsentiam formalem, quæ motu ipso acquiritur, vel deperditur, licet ipsa virtus non perdat aut acquiratur, sicut quantitas in corporibus non acquiritur, vel amittitur per motum localem, sed solum ipsa præsentia localis, seu ubi, quod acquiritur per motum, et resultat ex positione in tali spatio, et circumscriptione corporis ambientis. In Angelis autem non potest resultare ex circumscriptione corporis adjacentis, in cuius spatio ponitur præsens, sed oportet inquirere aliam rationem formalem, quæ sit fundamentum illius ubi, seu præsentia quam motu suo Angelus acquirit vel amittit, quidquid illud sit.

Reducitur ergo punctus difficultatis ad assignandum fundamentum hujus ubi, seu præsentia localis in Angelo, et rationem formalem habendi contactum cum corporibus: ex modo enim quo Angelus contactum potest habere cum corpore, dependet modus habendi præsentiam localem ad ipsa corpora, et consequenter acquirendi præsentiam localem in ipso corpore, quia hæc ex contactu nascitur: cum enim Angelus sit substantia invisibilis, et tamen possit tangere rem divisibilem corpoream et ejus spatio correspondere, difficile apparet modum hujus præsentia, et fundamentum ejus assignare: licet enim anima nostra spiritualis sit, et corpori quantitativo uniri possit, tamen non correspondet spatio immediate per seipsam, sed mediante corpore sibi unito; et similiter etiam corpus Christi sacramentatum non correspondet loco, et spatio, nisi mediantibus speciebus accidentium, quibus colligatur, et sub quibus continetur. Angelus autem cum sit spiritus, non unitus

corpori, valde difficile percipitur quomodo possit immediate correspondere corpori, ita quod in se sit modo indivisibili, et tamen correspondeat rei divisibili.

VARIA SENTENTIA.

Mirum est, quantum in hac parte auctores inter se disconveniant: principales tamen sententia ad quatuor præcipuas reducuntur.

V. Prima affirmat Angelum esse in loco ratione suæ substantiæ, et per suam voluntatem, quia voluntas est causa effectiva qua Angelus ponitur in loco, substantia autem ratio formalis, nec alia forma quaerenda est, qua reddatur præsens loco, sicut quantitas in corporibus per seipsam est in loco immediate: substantia autem Angeli per seipsam habet id quod quantitas in corporibus. Hæc est sententia Scoti in II, dist. II, qu. VI, Bonaventuræ, Gabrielis, Gregorii, et aliorum. Omitto opinionem Durandi qui in I, dist. XXXVII, qu. I, circa secundam partem distinctionis tenet quod Angelus est præsens omni corpori quod potest movere, non quidem per suam substantiam vel operationem, sed per ordinem ad illa, ita quod illud quod est situatio in corporibus, est ordo in Angelis. Moveri autem Angelum dicit, non per suam substantiam, et per suos effectus, seu quoad manifestationem quod fit per operationem Angeli circa locum, ut inquit ibidem quæstione secunda.

VI. Secunda sententia est quod Angeli existunt in loco per contactum virtutis, id est, per virtutem ut operantem circa corpus. Quæ sententia communis est inter Thomistas, ut fundatur in D. Thomæ qui id ita affirmat in hac quæstione LII, art. I, et locis postea citandis. Sed dividuntur in ea explicanda

auctores, quia aliqui dicunt Angelum esse in loco per ipsam formalem operationem, qua operantur in corpore, ut Ferrariensis III contra gent. cap. LXVIII, Ægidius, et alii, qui videntur ipsum ubi, seu præsentiam Angeli ponere non pertinentem ad ordinem essendi, sed ad ordinem operandi, ac proinde non distingui formaliter ab ipsa operatione, seu contactu virtutis, ut existimant Carmelitani Salmanticenses tract. VII de Angelis, disp. II, dub. V, assert. II. Alii vero dicunt Angelum esse in loco per aliquid antecedens operationem, et ad instar operationis se habens, scilicet per applicationem virtutis suæ ad inchoandam operationem ex aliquo corpore. Ita attribuitur Cajetano in præsentia quæstione LII, art. I, (de cuius tamen mente statim dicam) Capreolo, Argentinæ, et aliis pluribus, quos citant p. Suarez, et Vasquez statim citandi.

VII. Tertia sententia est quod Angeli sunt in loco per aliquam formam sibi superadditam antecederet ad eorum operationem, quæ immediate recipitur in ipsa substantia, quæ forma non est aliud quam modus, seu præsentia, aut ubi angelicum, quod est sibi formalis ratio existendi in loco, nec aliam assignat rationem formalem, quæ sit fundamentum hujus præsentia, seu ubi, et formalis ratio contactus, in quo valde ab ipso differimus. Hoc autem ubi, seu præsentia est modus quidam intrinsecus cum connotatione, seu dependentia ad spatium determinatum divisibile, licet ex parte subjecti indivisibilis sit: et ita variato spatio quod connotat tamquam terminum, variatur iste modus, seu præsentia intrinseca, et fit ad voluntatem Angeli. Et quia connotat, seu respicit determinatum spatium, dicitur præsentia diffinitiva, id est, determinata ad tale spa-

tium et consequenter potest ratione talis determinatæ præsentia habere propinquitatem, et distantiam, etiam sine interventu corporum quibus coexistunt. Ita pater Suarez lib. IV de Angelis, c. II et III, et c. VII et VIII, et antea eam explicuerat in metaph. disp. LI, sect. III et IV. Eademque est sententia Molinæ super hanc quæstionem LII, art. I, disp. I, memb. V; Arrubal disp. CLIV, c. III; Grados tract. IX, disp. III, sect. II, et aliorum recentiorum.

VIII. Quarta sententia est Angelum non posse esse præsentem in spatio nisi mediante aliquo corpore cui uniatur. Et in hoc convenit cum anima rationali, quæ etiam non potest esse præsens loco, et spatio nisi mediante corpore cui unitur. Neque corpus Christi sacramentatum est præsens spatio, nisi median- tibus speciebus quantitativis, quibus unitur. Ita Angelus non redditur præsens loco per seipsum immediate, sed mediante unione ejus ad corpus. Sed quia ista unio Angeli non est informativa sicut animæ, nec sacramentalis, sicut corporis Christi ad species, restat quod sit unio operativa, quatenus Angelus per operationem aliquam circa corpus producit modum quemdam spiritualem in seipso, per quem unitur corpori, cui sic unitus redditur præsens loco, ubi est corpus. Ita p. Vasquez hic disp. CLXXXVIII, c. VII et CXC, c. IV, quem latissime impugnat Suarez ubi supra c. VI, et sententiam Vasquez sequitur Alarcon tract. VI de Angelis, disp. VI, cap. V et VI, qui cum in capite secundo retulisset sententiam Thomistarum, qui dicunt Angelum esse in loco per operationem transeuntem, et contactum virtutis, in eamque effectatus falsam esse censeret, imo risu quodam exciperet eorum responsionem, qui dicunt operari Angelos in aliquibus corporibus aliquas quali-

tates occultas: mitior tamen factus in capite quinto, docet operationem istam transeuntem in corpus, vel applicationem virtutis, quam philosophi, et theologi antiquiores posuerunt pro præsentia Angelorum ad locum, venerandam, et sequendam esse sententiam, quia sic conducit ad opinionem p. Vasquez, non ut Angelus per operationem, vel applicationem virtutis habeat rationem contactus, ut dicunt Thomistæ, sed ut Angelus per talem operationem producat illam unionem ad corpus, qua mediante existat in loco, ut dicit Vasquez.

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ.

IX. Dico primo: Absolute loquendo Angeli sunt in loco. Hæc conclusio simpliciter pertinet ad fidem. Unde D. Thomas in I, dist. XXXVII, qu. III, art. I, dicit esse hæreticam opinionem quorundam philosophorum dicentium, quod Angeli, vel intelligentiæ nullo modo sunt in loco. Dicit autem D. Thomas esse hæreticam, quia secundum fidem nostram ponimus Angelos immediate circa nos operari. Et hoc constat de fide ex pluribus locis Scripturæ, in quibus referuntur aliquæ actiones Angelorum factæ immediate circa nos, et movendo se de loco ad locum, sicut Genes. XVIII et XIX, dicitur: *Angelos venisse ad Abraham, et Loth*: et Judicum II dicitur: *Angelum ascendisse de Galgalis ad locum Flentium*: et Tobie VIII dicitur quod: *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti*: et Apocal. XII dicitur de diabolo, et angelis ejus: *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*: et infra: *Et projectus est in terra, et angeli ejus cum eo missi sunt*: et Lucæ X: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Idem

communiter docent patres, ut Nazianzenus relatus a D. Thoma loco citato, dist. XXXVII; Athanasius in epistola ad Serapionem; Basilius de Spiritu sancto, c. XVI; Gregorius lib. II moral. c. II, et homil. XXIV in evangelia; Damascenus lib. II de fide, c. III, et lib. I, c. XVII.

Et ratio est manifesta, quia Angeli non sunt ubique, sed moventur habentque propinquitatem, et distantiam, et etiam contactum ad corpora, ut patet ex multis operationibus Angelorum, quæ in prædictis locis Scripturæ et in aliis referuntur, et quia spirituales substantiæ ex natura sua operativæ sunt circa corpora, illaque possunt regere ac movere, id enim non repugnat spiritali substantiæ, cum videamus animam nostram esse spiritualem, et uniri corpori, illudque regere ac movere, ergo Angeli, qui sunt perfectiores spiritus, multo melius poterunt corpora movere eaque tangere, non quidem informando, sicut anima, neque contactu quantitatis, quia carent illa, sed contactu alicujus virtutis, vel spiritualitatis, qua supra ipsa corpora operari possunt. Sed hoc ipso quod possunt uniri corpori, vel juxta illud poni aut tangere, et ab illo recedere, et distare, oportet quod dicant præsentiam vel absentiam ad locum in quo est tale corpus: ergo Angelis convenit esse in loco.

Ex quo colliguntur duo.

X. Primum est, quod Angelis debet convenire causa effectiva, qua ponantur in loco, vel ab eo recedant, quæ est voluntas, cum sufficienti potestate ad immutandum corpora, et movendum se circa illa, vel accedendo, vel recedendo, alias essent Angeli substantiæ immobiles, et cum non sint ubique, non possent operari in diversis locis, ad quæ esset opus accedere, vel recedere. An vero ista potestas effectiva sit ipsa

voluntas cum imperio pratico intellectus, ita quod per actum immanente moveat corpora, an vero per virtutem superadditam, quæ sit vis motiva distincta ab intellectu, et voluntate, postea attingetur: de quo etiam diximus in libris de anima, quæstione XII, art. VII, in fine, et supra disp. XI, tractando de potentia Dei activa.

Secundum est, quod Angeli non possunt esse in loco eo modo, quo sunt corpora, quia ista existunt in loco tamquam commensurata illi juxta mensuram quantitatis ad quantitatem, seu ad superficiem corporis locantis, unde sunt contenta in loco tamquam mensuratam sub mensura quantitativa. Angeli autem carent quantitate, et consequenter omni tali commensuratione, sed solum debent esse in loco tamquam aliquid superius, et independens ab illo, non ut commensuratum illi, sicut anima nostra est in corpore, et sicut ipsum corpus Christi hoc ipso quod est in sacramento non modo quantitativo, sed ad modum rei spiritualis, non est ibi tamquam in loco eo modo quo corpora, sed longe diverso, ita Angeli longe alio modo sunt, quam res corporeæ in loco. Et ita esse in loco non potest unicum, et univocum modum significare pro Angelis, et pro corporibus. Et hac ratione D. Thomas frequenter dicit quod Angelus est in loco æquivoce, ac corpus, ut patet in hac quæstione LIII, art. I, et q. LIII, art. I, et in I, dist. XXXVII supra citata Ubi id confirmat ex Nazianzeno.

XI. Dico secundo: Substantia Angeli secundum se, et remota operatione non est formalis, et immediata ratio contactus angelici ad locum neque immediatum, et proximum fundamentum præsentia localis, sed solum radicale principium in quantum est radix operationis, et virtutis. Per seipsam autem illa substantia